

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXIV - N. 1

---

1992

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1992

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos . . . . .	3
Allocutio Summi Pontificis ad quosdam sodales "World Jurist Association of the World Peace through Law Center" coram admissos . . . . .	7
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos qui XXXV annuali Conventui "Canon Law Society of Great Britain and Ireland" interfuerunt coram admissos . . .	10

### ACTA CONSILII

Praecipuorum actorum conspectus . . . . .	13
---	----

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi, quo Ordinatio generalis Romanae Curiae foras datur . . . . .	17
---	----

### CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda . . . . .	18
--	----

### STATUS CIVITATIS VATICANAE

Legge sulla disciplina delle attività di volontariato . . . . .	28
---	----

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS

### CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VI) .	32
II. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VII) .	56
III. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VIII). .	92
IV. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio IX) .	128
Opera a Consilii Bibliotheca Recepta . . . . .	177
Notitiae . . . . .	179

IV  
COETUS STUDII  
« DE SACRA HIERARCHIA »

Sessio IX  
(dd. 15-20 februarii a. 1971 habita)

Diebus 15-20 februarii 1971, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, Consultores convenerunt Coetus studii « De Sacra Hierarchia », sub directione Rev.mi Onclin, Secretarii adiuncti Commissionis. His conventibus intererant: Exc.mi quinque ac Rev.mi quinque Consultores.

Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant Exc.mus unus atque Rev.mi duo Consultores.

Antequam incipiat disceptatio de quaestionibus in hac Sessione pertractandis, Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an quis animadversiones habeat proponendas ad Relationem conclusivam praecedentis Sessionis. Nulla fit animadversio, ideoque, suffragatione facta, Relatio conclusiva Sessionis VIII<sup>a</sup> unanimiter approbatur.

Transitus ergo fit ad examen diversarum quaestionum, quod examen ita procedit:


I. QUAEDAM ADHUC PROPONUNTUR EMENDATIONES  
AD SCHEMATA CANONUM PRAECEDENTIS SESSIONIS

DE CURIA DIOECESANA

Exc.mus Consultor qui absens est sequentes animadversiones in scriptis proponit:

*Quoad canonem 20:* videtur mentionem de paroeciae archivo extra locum hic inveniri; nam in canone 19 agitur de archivo episcopali. Consultoribus adstantibus videtur contra textum servari posse.

*Quoad canonem 23 § 1:* cum cancellarius possit esse laicus, dicatur: « tantummodo Episcopus et cancellarius — si tamen presbyter sit — vel presbyter alius ab Episcopo designatur ». Haec autem emendatio non placet, quia esset discriminatoria quoad laicos. Placet vero ut, loco « aliusve », dicatur « aut ».



*Quoad canonem 24 § 1:* quaerit etiam idem Exc.mus Consultor num norma statuta satis firma sit, attenta dispersione sat frequenti archivorum. Ceteris Consultoribus videtur normam esse aptam, quia aliae determinationes ab Episcopo, vel a Conferentiis Episcopalibus, statuendae sunt.

#### DE CONSILIO PRESBYTERALI

*Quoad canonem 6:* postulat idem Exc.mus Consultor ut indoles consultiva Consilii Presbyteralis clarius exprimatur, ad normam Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 7. Cum vero in Litt. Circularibus S. Congregationis pro Clericis, n. 9, consideretur etiam possibilitas conferendi ipsi Consilio votum deliberativum, quibusdam in casibus, sequens textus proponitur et approbatur:

« § 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo, nisi ius universale aliter providerit aut Episcopus dioecesanus, in casibus exceptionalibus ab Episcoporum Conferentia definitis, votum deliberativum concedendum censuerit ».

*Quoad canonem 11:* proponitur et approbatur ut haec nova paragraphus addatur:

« § 3. Collegio consultorum praest Episcopus dioecesanus; sede autem impedita aut vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior ».

#### DE CONSILIO PASTORALI

*Quoad canonem 1:* postulat idem Exc.mus Consultor ut, in fine canonis, haec addantur verba: « ita ut vitae ac actionis Populi Dei conformitas cum Evangelio promoveatur ». Additio tamen non placet, praesertim quia ita occasio praeberetur ad fovendas erroneas sententias circa s.d. structuram democraticam regiminis Populi Dei; eae quidem sententiae saepe nituntur in falsis interpretationibus naturae, finis et competentiae Consiliorum pastoralium.

## II. SCHEMATA NOVORUM CANONUM PROPONUNTUR

## DE SEDE IMPEDITA

*Can. 1* (cfr. CIC, can. 429, § 1)

Textus propositus ita sonat:

Sedes episcopalis impedita intelligitur, si captivitate, relegatione, exsilio aut inhabilitate, Episcopus dioecesanus plane a munere pastoralis in dioecesi procurando praepediatur, ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare valens.

Exc.mus primus Consultor expungenda esse censet verba « ne per litteras ... valens ». Animadvertit tamen Exc.mus secundus Consultor haec verba servari posse; nam, nemo quidem valet gubernare tantum per litteras, sed si quis scribere potest nihil impedit quominus ipse alium deleget, etiam ad universitatem causarum.

Facta suffragatione, textus manet uti iacet.

*Can. 2* (cfr. CIC, can. 429, §§ 1-3)

Hic est textus propositus:

§ 1. Sede impedita, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sedes provide-rit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, Episcopo auxiliari, et si plures habeantur, eorum promotione antiquiori; quibus deficientibus aut impeditis, alicui Vicario generali aut episcopali aliive sacerdoti, servato personarum ordine statuto in elencho, quod quamprimum a capta dioecesis possessione ab Episcopo dioecesano componendum, a Cancellario sub secreto servandum atque insimul cum Metropolitana communicandum est.

§ 2. Si deficient aut impedian- tur Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliari- s, atque elenchus de quo in par. 1 non suppetat Collegii consulto- rum, de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali) est virum ecclesiasticum eligere, qui dioecesim regat.

§ 3. Qui dioecesis regimen, ad normam §§ 1 vel 2, suscepit, quam- primum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de suscepto munere.

*Quoad § 1:* suggerit Exc.mus tertius Consultor ut elenchus singulis sal- tem triennis renovetur. Ideo placet ut dicatur: « ... componendus et singu- lis saltem triennis renovandus, a Cancellario ... ».

*Quoad § 2:* postulat idem Exc.mus Consultor ut, loco « virum ecclesiasticum », dicatur « sacerdotem », quod ab omnibus approbatur.

*Quoad § 3:* nulla fit animadversio, ideoque manet uti propositus est.

Textus ergo huius can. 2 sic manet approbatus:

§ 1. Sede impedita, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sedes provide-rit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, alicui Episcopo auxiliari aut Vicario generali vel episcopali aliive sacerdoti, servato personarum ordine statuto in elencho, qui quamprimum a capta dioecesis possessione ab Episcopo dioecesano componendus et singulis saltem triennis renovandus, a Cancellario sub secreto servandus atque insimul cum Metropolita communicandus est.

§ 2. Si deficiat aut impediatur Episcopus coadiutor atque elenchus de quo in § 1 non suppetat, Collegii consultorum, de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali) est sacerdotem eligere, qui dioecesim regat.

§ 3. Qui dioecesis regimen, ad normam §§ 1 vel 2, susceperit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de suscepto munere.

*Can. 3* (cfr. CIC, can. 429, § 3)

Textus qui proponitur ita sonat:

Quilibet ad normam can. 2 vocatus ut ad interim dioecesis curam pastora-lem gerat, etiam si sit Episcopus coadiutor, pro tempore quo sedes im-peditur tantum, in cura pastoralis dioecesis exercenda tenetur obligationibus atque potestate gaudet quae iure Administratori dioecesano competunt.

Nulla fit animadversio.

Facta suffragatione textus manet approbatus uti iacet.

*Can. 4* (cfr. CIC, can. 429, § 5)

Hic est textus propositus:

Si Episcopus dioecesanus poena ecclesiastica a munere exercendo prohibeatur, Metropolita, eoque deficiente aut si de eodem agatur anti-quior promotione inter suffraganeos, ad Sanctam Sedem statim recurrat, ut ipsa provideat; quod si agatur de dioecesi aut de praelatura de quibus in can. 285, obligatione recurrendi tenetur Metropolita qui legitime elec-tus est.

Nulla fit animadversio, ideoque etiam hic canon approbatur ut iacet.

## DE SEDE VACANTE

*Can. 5* (cfr. CIC, can. 430, § 1)

Ita sonat textus propositus, qui omnibus placet:

Sedes episcopalis vacat Episcopi dioecesanī morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.

*Can. 6* (cfr. CIC, can. 430, § 2)

Textus propositus est sequens:

Vim habent omnia quae gesta sunt a Vicario generali aut Vicario episcopali, usque dum certam de obitu Episcopi dioecesanī notitiam acceperit, itemque quae ab Episcopo dioecesano aut a Vicario generali vel episcopali gesta sunt, usque dum certam de memoratis actibus pontificiis notitiam receperint.

Nulla fit animadversio.

Suffragatione facta, textus approbatur uti iacet.

*Can. 7* (cfr. CIC, can. 430, § 3)

Textus propositus sit sonat:

§ 1. A certa translationis notitia, Episcopus intra duos menses debet dioecesim *ad quam* petere eiusque canonicam possessionem assumere ad normam can. 2, § 3 (de Episcopis dioecesanis), et a die captae possessionis dioecesis novae, dioecesis *a qua* plene vacat.

§ 2. A certa translationis notitia usque ad canonicam novae dioecesis possessionem, Episcopus translatus in dioecesi *a qua*:

1. Administratoris dioecesanī potestatem obtinet eiusdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii generalis et Vicarii episcopalis potestate, salvo tamen can. 7 § 2 (de Episcopis coadiutoribus et auxiliariis);

2. honorifica Episcoporum dioecesanorum privilegia retinet;

3. integros percipit fructus mensae episcopalis, ad normam can. 194 § 2.

Obicit Rev.mus quartus Consultor primam clausulam § 1, ubi agitur de obligatione capiendi possessionem novae dioecesis, systematice extra locum hic inveniri, quia haec sententia respicit normas de officio episcopali.



Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. verba haec manere posse, quia sic melius intelligitur § 2. Hoc ceteris Consultoribus placet, ideoque textus approbatur uti iacet.

*Can. 8* (cfr. CIC, can 431)

Textus qui proponitur est sequens:

§ 1. Sede vacante, nisi adsit Administrator Apostolicus aut aliter a Sancta Sede provisum fuerit, regimen dioecesis, usque ad constitutionem Administratoris dioecesani, devolvitur ad Episcopum auxiliarem, et si plures sint ad eorum promotione antiquiorem, atque deficiente Episcopo auxiliari ad Caput Curiae; ipse autem sine mora convocet collegium ad deputandum Administratorem dioecesanum competens.

§ 2. Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione Archiepiscopus aliusve Episcopus Administratorem dioecesis vacantis designet, hic omnes et solas facultates habet quae Administratori dioecetano competunt eisdemque obligationibus est obnoxius.

Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut § 2. expungatur, quia iam in § 1 dicitur: « aut aliter a Sancta Sede provisum fuerit ». Haec propositio omnibus placet, et textus, nunc constans unica paragrapho, approbatur absque aliis emendationibus.

*Can. 9* (cfr. CIC, can. 432)

Sic sonat textus propositus:

§ 1. Intra octo dies ab accepta vacationis sedis episcopalis notitia, Administrator dioecesanus, qui nempe dioecesim ad interim regat, eligendus est a Collegio consultorum; in dioecesibus vero in quibus iure praesentationis Episcopi instituendi gaudet Capitulum cathedrale, ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum.

§ 2. Si intra praescriptum tempus Administrator dioecesanus, quavis de causa, non fuerit legitime electus, eiusdem deputatio devolvitur ad Metropolitam, et si vacans sit ipsa Ecclesia metropolitana aut metropolitana simul et suffraganea, ad Episcopum suffraganeum promotione antiquiorem.

§ 3. Etiam vacante dioecesi aut abbatia vel praelatura de quibus in can. 285, si intra octiduum Administrator dioecesanus legitime electus non fuerit, eundem Metropolita, ad normam citati canonis electus, constituat, nisi constitutione abbatiae vel praelaturae aliter provisum fuerit.

Quo clarius pateat quis praeesse debeat coetui, si electio fiat a Capitulo una cum Collegio Consultorum, placet ut in fine § 1 haec addantur verba: « moderante in hoc casu qui praest Capitulo ».

Nulla alia fit observatio, quapropter textus canonis approbatur cum praedicta additione.

*Can. 10* (cfr. CIC, can. 432, § 4)

Hic est textus propositus et, absque ulla emendatione, approbatus:

Episcopus auxiliaris, et, si deficiat, Caput Curiae quantocius de morte Episcopi, intemque electus in Administratorem dioecesanum de sua electione Sedem Apostolicam certiore faciant.

*Can. 11* (cfr. CIC, can. 433)

§ 1. Unus deputatur Administrator dioecesanus, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.

§ 2. Administratoris dioecesani constitutio fieri debet ad normam can. (de electione), et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis.

§ 3. Administrator dioecesanus ne insimul sit oeconomus; quare, si oeconomus dioecesis in Administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designet Consilium a rebus oeconomicis.

Cum in hoc canone agatur de rebus diversis, proponente Rev.mo quarto Consultore, placet ut can. 11 constet §§ 1 et 3 textus propositi, utque § 2 fiat novus canon, nempe canon 12.

Textus propositus approbatur uti iacet, excepta § 2 (nunc can. 12), circa quam Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut his verbis incipiat: « Administrator dioecesanus eligatur ad normam... »; Rev.mus Secretarius Ad. censet etiam in fine addendum esse: « electio ut valeat ab electo acceptari debet ».

Utraque propositio Consultoribus placet. Quapropter, facta suffragatione, canones 11 et 12 ita manent approbati:

*Can. 11*

§ 1. Unus deputatur Administrator dioecesanus, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.

§ 2. Administrator dioecesanus ne insimul sit oeconomus; quare, si oeconomus dioecesis in Administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designet Consilium a rebus oeconomicis.

*Can. 12*

Administrator dioecesanus eligatur ad normam can. (de electione), et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis; electio ut valeat, ab electo acceptari debet.

*Can. 13, antea can. 12 (cfr. CIC, can. 434)*

Hic est textus propositus:

§ 1. Valide ad munus Administratoris dioecesani deputari tantum potest clericus ad sacrum presbyteratus ordinem promotus, qui trigesimum quintum aetatis annum expleverit, et ad eandem vacantem sedem non fuerit iam electus, nominatus vel praesentatus.

§ 2. In Administratorem dioecesanum eligatur sacerdos qui sit doctrina et prudentia praestans.

§ 3. Si praescriptae § 1 conditiones posthabitaе fuerint, Metropolita aut, si ipsa Ecclesia metropolitana vacans fuerit, Episcopus suffraganeus promotione antiquior, agnita rei veritate, Administratorem pro ea vice deputet; actus autem illius contra praescripta § 1 electi sunt ipso iure nulli.

Textus omnibus Consultoribus placet, unica facta emendatione proponentibus Exc.mo tertio et Rev.mo quinto Consultoribus, nempe in § 1, loco « clericus ad sacrum presbyteratus ordinem promotus », dicendum est « sacerdos ».

*Can. 14, antea can. 13 (cfr. CIC, can. 435, § 1)*

Hic est textus qui proponitur et, absque ulla emendatione, approbatur:

Qui, sede vacante, Episcopus auxiliaris aut Caput Curiae, ante deputationem Administratoris dioecesani, dioecesim regat, potestate gaudet quam ius Vicario generali agnoscit.

*Can. 15, antea can. 14 (cfr. CIC, can. 435)*

Sic sonat textus propositus:

§ 1. Administrator dioecesanus ipso iure tenetur obligationibus et gaudet potestate Episcopi dioecesani, iis exclusis quae rei natura aut ipso iure excipiuntur.

§ 2. Administrator dioecesanus, ipsa electione sua, edita fidei professione de qua in cann. 1406-1408, statim potestatem de qua in § 1 obtinet, quin requiratur ullius confirmatio.

*Quoad § 1*, nulla fit animadversio.

*Quoad § 2*, iuxta petitionem Exc.mi sexti Consultoris quo clarius pateat electionis acceptationem esse causam, professionem vero fidei esse conditionem necessariam ut communio habeatur cum Romano Pontifice, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et propositio ab omnibus accipitur, ut § 2 ita emendetur: « ipsa acceptata electione, si fidei professionem de qua in cann. (1406-1408) ediderit, statim ... ».

Nulla alia fit animadversio, ergo canon approbatur uti propositus est, cum supradicta tantum emendatione.

*Can. 16*, antea can. 15 (cfr. CIC, can. 435, § 3)

Hic est textus propositus, qui ab omnibus approbatur:

Illi qui ad interim dioecesis regimen curant vetantur quidpiam agere quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit; in specie prohibentur ipsi, atque perinde alii quicumque, tum Collegii consultorum membra tum extranei, quominus sive per se sive per alium Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahant vel destruant, aut in iis quaedam immutent.

*Can. 17*, antea can. 16 (cfr. CIC, can. 436)

Textus propositus sit sonat:

Sede vacante nihil innovetur.

Hoc principium traditionale omnibus placet.

*Can. 18*, antea can. 17 (cfr. CIC, can. 440)

Administrator dioecesanus obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 10 (de Episcopis dioecesanis).

Nulla fit animadversio, ideoque hic canon approbatur uti iacet.

*Can. 19*, antea can. 18 (cfr. CIC, can. 443)

§ 1. Administratoris dioecesani remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio quae fiat, authentica forma exhibenda est Collegio ad electionem competenti ad normam can. 9, § 1, a quo tamen, ut valeat, acceptari non debet; remoto aut renuntiante Administratore dioecesano, aut eodem defuncto, alius eligatur Administrator dioecesanus ad normam can. 9.

§ 2. Cessat praeterea munus Administratoris dioecesis per captam a novo Episcopo dioecesis possessionem ad normam can. 2, § 3 (de Episcopis dioecesis).

Rev.mus quartus Consultor postulat ut in § 2 expungatur verbum « praeterea ». Attamen, uti animadvertit Rev.mus quintus Consultor magis expedit ut hoc verbum retineatur, quia in § 1 agitur etiam de aliis formis renuntiationis a munere.

Facta suffragatione, textus ab omnibus recipitur uti propositus est.

*Can. 20*, antea can. 19 (cfr. CIC, can. 444)

Textus propositus, qui absque ulla emendatione approbatur, ita sonat:

Episcopus dioecesanus, capta dioecesis possessione, ab iis qui ad interim regimini dioecesis providerint necnon a dioecesis oeconomio adimpleti muneris rationem exigere debet.

#### DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS

*Can. 1* (novus)

Haec est formula quae proponitur:

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesis, committitur sive uni sacerdoti, paroeciae parochi, sive, ubi adiuncta id requirant, pluribus insimul sacerdotibus sub moderamine eorum unius, (paroeciae parochi), cooperantibus ad normam iuris.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroecia uni concredatur sacerdoti, qui sit eiusdem parochus; certis tamen adiunctis id requirentibus, paroeciae cura committi potest pluribus simul sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut eorum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, ad normam iuris.

§ 3. Si peculiaribus in adiunctis, ad normam iuris, participatio in exercitio curae pastoralis paroeciae concredatur personae sacerdotali caractere non insignitae aut personarum communitati, sacerdos designetur aliquis qui, uti proprius paroeciae pastor, curam pastorem moderetur.

*Quoad § 1:* suggerit Rev.mus Secretarius Ad. ut, in fine, expungantur verba « paroeciae parochi ». Propositio a ceteris recipitur, quia aliter nulla est differentia inter duas figuras de quibus in hac paragrapho agitur.

Rev.mus septimus Consultor quaestionem ponit de differentia inter Vicarium paroeciae et Vicarium parochi.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hanc quaestionem non in hoc canone, sed deinceps perpendam esse.

Exc.mi sextus et secundus Consultores censent quoque novam figuram paroeciae coetui sacerdotum commendatae bene definiendam esse, ne responsibilitas personalis, etiam iuridica, evanescat.

Iuxta Rev.mos quartum et quintum Consultores, figura sacerdotum qui coetum efformant non est satis clara, utpote qui neque parochi sint neque vicarii.

Postulat Exc.mus primus Consultor ut vitentur coniunctiones « sive... sive », quae aequiparare videntur utramque figuram.

Hoc placet, et sequens approbatur emendatio: « committitur uni sacerdoti, paroeciae parochi aut, ubi adiuncta ... ».

*Quoad § 2:* proponit Rev.mus quintus Consultor ut « moderator », de quo in hac paragrapho agitur, sit responsabilis *coram* Episcopo. Ipse Rev.mus quintus Consultor, cui accedit Exc.mus primus Consultor, postulat ut ex hac paragrapho duae paragraphi fiant, ea quidem lege ut in prima paragrapho agatur de regula generali, seu de parochi unico, in altera vero paragrapho statuatur possibilitas coetus sacerdotum.

Cum his dictis concordat Exc.mus secundus Consultor, quia sic melius iudicari poterit in moderatorem recidere responsabilitatem: *a)* complexivam seu globalem circa paroeciam; *b)* quoad decisiones in cura animarum capiendas; *c)* quoad vigilantiam circa executionem decisionum. Moderatur ergo fit primus responsabilis coram Deo, coram Episcopo et coram ceteris fidelibus.

Fit ergo suffragatio, et plerisque non placet ut § 2 dividatur. Attamen, attentis expositis, Exc.mus sextus Consultor suggerit ut dicatur: « sit moderator et rector, coram Episcopo responsabilis, ad normam iuris ».

Obiciunt tamen Rev.mi quartus et septimus Consultores iuridice non adesse adaequatam distinctionem inter moderatorem et rectorem.

His omnibus prae oculis habitis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit formulam, quae recipitur: « ... moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat » (et supprimuntur verba « ad normam iuris »). Proponit etiam Rev.mus Secretarius Ad. ut, loco « pluribus simul sacerdotibus » dicatur « pluribus in solidum sacerdotibus », quod item approbatur.

*Quoad § 3:* animadvertit Exc.mus sextus Consultor hac de re adesse, quia quandoque paroeciae « committuntur » laicis etiam ubi non adest sacerdotum penuria.

Cum vero iudicium de hac penuria Episcopo competat, Rev.mus Secretarius Ad. hunc textum proponit: « Si ob sacerdotum penuriam Episcopus

dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse alicui personae sacerdotali caractere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem designet aliquem qui ... ».

Facta suffragatione, hic textus recipitur.

Nulla alia fit animadversio, ideoque formula huius canonis 1 sic manet approbata:

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parochus aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus insimul sacerdotibus sub moderamine eorum unius cooperantibus ad normam iuris.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroecia uni concredatur sacerdoti, qui sit eiusdem parochus; certis tamen adiunctis id requirentibus, paroecia cura committi potest pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut eorum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

§ 3. Si ob sacerdotum penuriam, Episcopus dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse alicui personae sacerdotali caractere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem designet aliquem qui, uti proprius paroeciae pastor, curam pastorem moderetur.

#### *Can. 2 (novus)*

Textus propositus ita sonat:

Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, audito Consilio presbyterali, id expediat, constituentur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae.

Haec formula approbatur absque emendationibus.

#### *Can. 3 (novus)*

Hic est textus propositus:

§ 1. Parochus est sacerdos, qui, tanquam eius pastor proprius, paroeciae sibi commissae cura pastoralis defungitur, sub auctoritate Episcopi

dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro populo sibi concredito munera magistri, sacerdotis et rectoris exsequatur, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

§ 2. Qui, adiunctis id requirentibus, plures insimul cura pastoralis paroecliae defunguntur, ut pastores populi sibi commissi, sub auctoritate Episcopi dioecesani, coniuncti eadem munera exsequuntur, ita tamen ut qui eorum curae pastoralis universae moderamen habeat solus instruatur ordinaria potestate iuridica quam ius parochus agnoscit.

*Quoad § 1:* postulat Exc.mus primus Consultor et ceteris Consultoribus placet, ut, loco « magistri, sacerdotis et rectoris », dicatur « docendi, sanctificandi et regendi ».

*Quoad § 2:* Exc.mi primus et tertius Consultores quaestionem ponunt de potestate cumulativa pro sacerdotibus ipsius coetus. Plerique vero Consultores censent potestatem in unico sacerdote residere debere, qui potest quidem in alios delegare, sed ipse personaliter respondet.

Rev.mus quartus Consultor iterum definiendum esse censet officium sacerdotum coetus, qui nempe suscipiunt munus curae animarum in solidum exercendae, quare officio funguntur parochi coniuncti vel adiuncti. Postulat igitur Rev.mus — et propositio accipitur — ut dicatur: « ordinaria potestate regiminis seu iurisdictionis in foro externo quam ius parochus agnoscit ».

Textus ergo canonis 3 a Consultoribus approbatus sic sonat:

§ 1. Parochus est sacerdos, qui, tanquam eius pastor proprius, paroecliae sibi commissae cura pastoralis defungitur, sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro populo sibi concredito munera docendi, sanctificandi et regendi exsequatur, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

§ 2. Qui, adiunctis id requirentibus, plures insimul cura pastoralis paroecliae defunguntur, ut pastores populi sibi commissi, sub auctoritate Episcopi dioecesani, coniuncti eadem munera exsequuntur, ita tamen ut qui eorum curae pastoralis universae moderamen habeat solus instruatur ordinaria potestate regiminis seu iurisdictionis in foro externo quam ius parochus agnoscit.



*Can. 4* (cfr. CIC, can. 451, §§ 2-3)

Formula proposita est sequens:

§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialibus, vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior, qui, parocho impedito aut absente, eiusdem locum tenet, ad normam can ...

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universali vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad militum cappellanos, sive maiores sive minores quod attinet, standum est peculiaribus Sanctae Sedis statutis.

*Quoad § 1:* placet ut addantur, proponente Rev.mo Secretario Ad., sequentia verba: « ... et iuribus paroecialibus, sacerdos qui vacante paroecia ab Ordinario designatur ad curam pastorem pro tempore exercendam itemque vicarius ... ».

*Quoad § 2:* nulla fit animadversio.

*Quoad § 3:* postulantis Exc.mo sexto Consultore et aliis, sequens approbatur emendatio: « Ad cappellanos pro militibus aliisque peculiaribus personarum coetibus quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis ».

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus huius canonis 4 ita manet approbatus:

§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialibus, sacerdos qui vacante paroecia ab Ordinario designatur ad curam pastorem pro tempore exercendam, itemque vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior, qui, parocho impedito aut absente, eiusdem locum tenet, ad normam can ...

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universali vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad cappellanos pro militibus aliisque peculiaribus personarum coetibus quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis.

*Can. 5* (cfr. CIC, can. 452)

Formula quae proposita est sic sonat:

§ 1. Parochus ne esto persona iuridica; Episcopus dioecesanus autem auctoritate propria, non vero Administrator dioecesanus nec sine speciali mandato Vicarius generalis aut episcopalis, potest, de consensu competentis Superioris, paroeciam committere Instituto perfectionis aliive societati clericorum, etiam in ecclesia Instituti aut societatis eam erigendo, ea tamen lege ut [unus sacerdos sit] paroeciae parochus aut curae pastoralis, quae pluribus committatur, moderator.

§ 2. Paroeciae commissio de qua in § 1 potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus; in utroque casu fiat mediante conventionem scripta inter Episcopum dioecesanum et Superiorem competentem inita, qua, inter alia, expresse et accurate definiantur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant.

(Cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33, § 1).

Placet omnibus § 1, ubi tamen sequentes mutationes, fiunt, claritatis causa: « ea tamen lege ut unus sacerdos sit paroeciae parochus aut, si cura pastoralis pluribus committatur, moderator ».

Ad § 2 nulla fit animadversio. Textus ergo canonis 5 approbatur uti propositus est, cum supradictis parvis emendationibus.

*Can. 6* (cfr. CIC, can. 453)

Haec est formula quae proponitur:

§ 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit insuper doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque quas dicunt, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad vacantem paroeciam curandam iure sive universali sive particulari requiruntur.

Omnibus placet § 1, uti iacet.

*Quoad* § 2, postulat Exc.mus sextus Consultor ut dicatur: « Sit insuper sana doctrina ... ». Rev.mus quintus Consultor suggerit ut deleantur, in lin. 2, verba « quas dicunt ». Rev.mus septimus Consultor proponit ut, loco « ad vacantem paroeciam », dicatur « ad paroeciam de qua agitur ».

His omnibus emendationibus receptis, textus huius canonis 6 ita manet suffragatione approbatus:

§ 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit insuper sana doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curandam iure sive universali sive particulari requiruntur.

*Can. 7* (cfr. CIC, can. 454)

Hic est textus qui proponitur:

Qui in paroecia pastoralis curae praeficitur qua paroeciae parochus aut moderator, primo ad quinquennium nominetur; quo tempore elapso, qui in munere confirmetur ad indeterminatum tempus constitutur, nisi, ad moderatorem quod attinet, iure particulari aliter provisum sit; parochus tamen et moderator a paroecia removeri possunt ad normam iuris.

Exc.mus sextus Consultor censet non expedire ut parochus nominetur ad quinquennium quia difficultates adsunt; nam, inter alia, parochus multa incepta peragere nequit, si scit se cessaturum esse in munere expleto quinquennio.

His dictis alii accedunt Consultores, quapropter placet, proponente Rev.mo Secretario Ad., ut textus ita emendetur:

Qui in paroecia pastoralis curae praeficitur qua paroeciae parochus aut moderator, ad indeterminatum tempus nominetur; ad certum tamen tempus ab Episcopo dioecesano nominari potest, si ita ab Episcoporum Conferentia regionis, per decretum ad normam can. (...) editum, statutum fuerit.

*Can. 8* (cfr. CIC, can. 455)

Formula quae proponitur ita sonat:

§ 1. Ius nominandi et instituendi parochos aut paroeciarum moderatores competit Episcopo dioecesano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

§ 2. Parochos et moderatores libere nominat Episcopus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis, Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae necnon paroeciae votorum illas necessi-

tates respicientium; quare, vicarium foraneum audiat, et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad officium parochi aut moderatoris in paroecia de qua agitur requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. (CIC, can. 456). Ad paroecias alicui sodali Instituti perfectionis aut clericorum societatis concreditas, sive paroecia Instituto societative commissa sit ad normam can. 5 sive non, Superior secundum constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut societatis praesentat Episcopo dioecesano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit.

Quaerunt Exc.mi sextus et tertius atque Rev.mus octavus Consultores quomodo nominentur membra coetus sacerdotum. Uti adiungit Exc.mus nonus Consultor, vitandum est periculum oppositionis, quod quidem contingere potest si solus moderator, non autem ceteri coetus sacerdotes, nominari debeat ab Episcopo.

His dictis attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit emendationem § 1, quae omnibus placet: « ... et instituendi parochum necnon sacerdotes quibus in solidum curae paroeciae committitur eorumque moderatorem competit Episcopo dioecesano ... ».

Eadem ratione in § 2 dicendum est: « Parochum necnon sacerdotes de quibus in § 1 libere nominat ... ».

*Quoad § 2*, placet Exc.mis tertio, secundo et aliis Consultoribus ut statuatur Episcopum prae oculis habere debere, in nominationibus faciendis, necessitates paroeciae, ideoque consulere debet vicarium foraneum, etc., sine interventu tamen Consilii presbyteralis.

Postulante Exc.mo sexto Consultore, expunguntur verba « necnon paroeciae votorum », propter difficultates exquirendi huiusmodi vota, eo vel magis quod eadem idea iam satis exprimitur in textu.

Claritatis causa, Rev.mus Secretarius Ad. sequentes proponit emendationes, quae ab aliis recipiuntur: loco « audiat » dicatur « consulat » (lin. 4); loco « ad officium parochi aut moderatoris in paroecia de qua agitur requisitis », dicatur « ad curam pastorem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis ».

*Quoad § 3*, Exc.mus primus Consultor quaestionem ponit de territoriis missionis, si nempe Vicariatus commendatus sit alicui Instituto religioso aut Societati missionariae cleri saecularis, sed non adsint sufficientes sacerdotes illius Instituti aut Societatis, qui curam habere possint de omnibus quasi-paroeciis.

Hac attenta animadversione, Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut paragraphus hic verbis incipiat: « Salvo iure particulari salvisque conventionibus inter Episcopum dioecesanum et Superiorem initis et ab Apostolica Sede probatis, ad paroecias alicui ... ».

Haec additio omnibus placet.

Rev.mus quartus Consultor recolit in novo hoc schemate iam non amplius agi de paroecia concredita religiosi « ad temporalia tantum » (CIC, can 1425, § 1), quae figura iuridica in novo iure non existit.

Denique, proponente ipso Rev.mo quarto Consultore, placet ut, in lin. 2, loco « concreditas », dicatur « concredendas ».

Sic expleta disceptatione, redactio approbata can. 8 est sequens:

§ 1. Ius nominandi et istituendi parochum necnon sacerdotes quibus in solidum paroeciae cura committitur eorumque moderatorem competit Episcopo dioecesano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

§ 2. Parochum necnon sacerdotes de quibus in § 1 libere nominat Episcopus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis, Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae; quare vicarium foraneum consulat, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastorem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. (CIC, c. 456). Salvo iure particulari salvisque conventionibus inter Episcopum dioecesanum et Superiorem initis et ab Apostolica Sede probatis, ad paroecias alicui sodali Instituto perfectionis aut clericorum societatis concredendas, sive paroecia Instituto societative commissa sit ad normam can. 5 sive non, Superior secundum constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut societatis praesentat Episcopo dioecesano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit.

*Can. 9* (cfr. CIC, can. 455, § 2)

Hic est textus propositus:

Sede vacante aut impedita ad normam can.1 (de Sede impedita), ad Administratorem dioecesanum aliumve dioecesim ad interim regentem pertinet:

1° vicarios paroeciales constituere, ad normam cann. 472-476;

2° institutionem concedere sacerdoti sodali Instituti perfectionis aut societatis clericorum, ad paroeciam praesentato a Superiore ad normam can. 8, § 3;

3° parochos paroeciarumve moderatores nominare, si sedes saltem ab anno vacaverit aut impedita sit.

Canon approbatur uti iacet, unica facta emendatione, quam suggerit Rev.mus Secretarius Ad. ut congruentia habeatur cum emendationibus factis in can. 8, nempe, in n. 3° dicendum est: « parochos sacerdotesve de quibus in can. 8 § 1 nominare ... ».

*Can. 10* (cfr. CIC, can. 458)

Ita sonat formula proposita:

Vacanti paroeciae curet Episcopus dioecesanus providere ad normam can. 6 (de Officiis ecclesiasticis; in CIC, can. 155), nisi peculiaria locorum aut personarum adiuncta, prudenti Episcopi iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant.

Textus approbatur uti propositus est, sed postulante Rev.mo quarto Consultore, loco « tituli » dicendum est « officii » (lin. 3), quod omnibus placet.

*Can. 11* (cfr. CIC, can. 459)

Hic est textus qui proponitur:

§ 1. Episcopus dioecesanus vacantem paroeciam illi conferat, quem, omnibus perpensis adiunctis, idoneum aestimet ad paroecialem curam in eadem implendam, omni personarum acceptione seclusa.

§ 2. Si id expedire iudicaverit, potest Episcoporum Conferentia itemve Episcopus dioecesanus statuere ut presbyteri, post certum ab ordinatione annorum numerum, examini super doctrina subiciantur, quo eorundem habilitas ad munus paroeciale assumendum probatur.

Exc.mus primus Consultor censet § 1 deleri posse. Item Exc.mus tertius Consultor existimat § 2 ponendam esse uti § 3 can. 6. Attamen, uti Rev.mus quartus Consultor animadvertit, systematice magis expedit ut canon 11 in suo loco maneat, quia hic agitur de ipsa obligatione Episcopi, dum in can. 6 indicantur qualitates candidati, et in can. 8 normae dantur de praevisis informationibus exquirendis.

Suffragatione facta, plerisque placet ut canon maneat uti propositus est, nempe, hoc in loco et absque emendationibus.

*Can. 12* (cfr. CIC, can. 460)

Haec est formula proposita:

§ 1. Parochus ad normam can. 7 (de officiis ecclesiasticis, in CIC, can. 156) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat, nisi agatur de paroeciis aequae principaliter unitis.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus, aut, si paroeciae cura pluribus insimul committatur sacerdotibus, eorum unus tantum sit eiusdem curae moderator, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

*Quoad § 1*, postulat Exc.mus nonus Consultor ut in initio verba emendantur, quia frequentius in dies plures paroeciae unico sacerdoti commendari debent.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. de hoc iam agi in fine paragraphi, ubi dicitur: « nisi agatur de paroeciis aequae principaliter unitis ». Formula praeterea de paroeciis aequae principaliter unitis servanda esse videtur, ait Exc.mus sextus Consultor, ne minuat adiutorium oeconomicum quod Status quandoque dat paroeciis.

Placet ergo ut maneat § 1 uti proposita est, et approbatur quoque § 2, absque emendationibus.

*Can. 13* (cfr. CIC, can. 461)

Hic est textus qui proponitur:

Curam animarum obtinet parochus a momento captae possessionis ad normam cann. 1443-1445; ante actum possessionis capiendae aut in ipso, fidei professionem edere debet, de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

Animadvertit Rev.mus Secretarius Ad. praecepta cann. 1443-1445 hodierni Codicis iam amplius servanda esse non videri, prae oculis etiam habita nova figura coetus sacerdotum cum moderatore.

Attamen redactio canonis propositi emendanda esse videtur, ut: *a*) statuatur sacerdotes coetus, praeter moderatorem, possessionem paroeciae capere cum fidei professionem emittunt (Rev.mus quintus Consultor); *b*) aliquid etiam dicatur de tempore intra quod paroeciae possessio capi debeat (Rev.mus quartus Consultor).

His omnibus prae oculis habitis, proponitur a Rev.mo Secretario Ad. sequens textus emendatus, qui recipitur:

§ 1. Qui ad curam pastorem paroeciae gerendam nominatus aut institutus est, eandem obtinet a momento captae possessionis; ante actum possessionis capiendae, aut in ipso, fidei professionem edere debet de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

§ 2. Parochum moderatoremque curae paroecialis in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari praescripto aut legitima consuetudine recepto; iusta tamen de causa potest idem Ordinarius ab eo modo dispensare; quo casu dispensatio locum tenet captae possessionis.

§ 3. Pro ceteris sacerdotibus, quibus, ducente moderatore, insimul cura paroecialis committitur, fidei professio locum tenet captae possessionis.

§ 4. Loci Ordinarius praefiniat tempus intra quod possessio paroeciae capi debeat; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, paroeciam vacare declaret, ad normam can. 188, n. 2.

*Can. 14* (cfr. CIC, cann. 467, 468, 469)

Hic est textus propositus:

§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei christifidelibus annuntietur, praesertim homilia diebus dominicis et festis habenda ad normam cann. 1339 (novi) atque catechetica institutione tradenda ad normam cann. 1345-1352 (novae redactionis); operam det quoque ut nuntius Evangelii ad omnes perveniat in paroecia sua degentes, etiam qui veram fidem non profiteantur aut a religione colenda recesserint.

§ 2. Quo munus sanctificationis debite expleat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; adlaboret ut christifideles, quibus quidem legitime petentibus sacramenta administrare debet, per devotam et frequentem eorum receptionem pascantur; satagat ut iidem conscie et actuose in Sacra Liturgia partem habeant.

§ 3. Pastor paroeciae proprius cum sit, curet ut populum sibi commissum cognoscat; consociata cum cooperatoribus opera, prospiciat ut vitae christianae incrementum foveatur tum in singulis christifidelibus, tum in familiis, tum in consociationibus praesertim apostolatus addictis, tum in universa paroeciali communitate; domus et scholas visitet; provideat ut iuvenum adolescentiumque, item opificum, peculiaris cura habeatur; adlaboret ut christifideles in operibus apostolatus partem habeant et legitima incepta ad unitatem inter christianos fovenda sustineat atque promoveat.



§ 4. Pauperes tenuioresque peculiari diligentia prosequatur; fortuna adversa conflictatos levet ac sustineat, ad auxilium praebendum semper paratus; caritatis opera foveat ac promoveat.

§ 5. Aegrotantes in sua paroecia invisat, eos confortans, et quos in vitae discrimine novit sollicite Sacramentis reficiens, eisdem concedens quoque benedictionem apostolicam cum adiuncta indulgentia plenaria, quam quidem parochus aliive sacerdoti infirmis assistenti facultas est impertiendi.

(Cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 30, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 5-6; Paulus VI, Constitutio apostolica *Indulgentiarum doctrina*, V, n. 18).

*Quoad § 1*, Exc.mus tertius Consultor magis insistendum esse censet in exigentiis missionariis. Attamen, iuxta Exc.mum primum Consultorem (qui recolit Decr. *Ad gentes*, n. 20), et Rev.mum Secretarium Ad., textus ita conficiendus est ut respiciat imprimis fideles, deinde vero alios.

*Quoad § 2*, iuxta Exc.mos secundum et nonum Consultores clarius exprimendum est verba « frequens receptio » sese referre ad Eucharistiam et Poenitentiam. Recolunt etiam Rev.mi quintus et septimus Consultores fideles nunc quandoque non invenire sacerdotes ad confessiones excipiendas paratos et quidem etiam in locis ubi sacerdotes adsunt. Quapropter de hoc munere agendum esse censent.

*Quoad § 3*, mavult Rev.mus quintus Consultor ut dicatur « in consociationibus christifidelium » vel simpliciter « in consociationibus », quod placet.

Recolit praeterea Exc.mus primus Consultor opera ad gentium evangelizationem fovendam, de quibus in Decr. *Ad gentes*, n. 37.

*Quoad § 4*, expunguntur verba « ad auxilium praebendum semper paratus », quae intelligi possunt sensu materiali sive oeconomico, quod tamen non semper est possibile. Praeterea, haec idea satis exprimitur per verba « foveat ac promoveat ».

*Quoad § 5*, postulante Exc.mo nono Consultore, expunguntur verba « in sua paroecia ».

*Nova paragraphus*, quae erit § 6. Suggestit Exc.mus sextus Consultor ut nova paragraphus conficiatur de itinerantibus, peregrinis, etc., quod placet.

His omnibus animadversionibus prae oculis habitis, Rev.mus Secretarius Ad. novam redactionem huius canonis proponit, quae suffragatione approbatur:

§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei omnibus in paroecia sibi commissa degentibus annuntietur; quare, curet ut christifi-

deles in fidei veritatibus recte edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis in regione de praecepto habenda, ad normam can. 1339 (novi) necnon catechetica institutione tradenda, ad normam cann. 1345-1352 (novae redactionis), utque spiritu evangelico imbuantur; atque omni spe satagat, adsociata etiam sibi eorundem christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur.

§ 2. Quo munus sanctificationis debite expleat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; adlaboret ut christifideles, quibus quidem legitime petentibus sacramenta administrare debet, per ritam et devotam eorum receptionem pascantur utque ad SS. Eucharistiae necnon Poenitentiae sacramenta frequenter accedant; satagat ut iidem conscie et actuose in Sacra Liturgia partem habeant.

§ 3. Pastor paroeciae proprius cum sit, curet ut populum sibi commissum cognoscat; consociata cum cooperatoribus opera, prospiciat ut vitae christianae incrementum foveatur tum in singulis christifidelibus, tum in familiis, tum in consociationibus, tum in universa paroeciali communitate; domos et scholas visitet; provideat ut iuvenum adolescentumque peculiaris cura habeatur; legitime incepta ad unitatem inter christianos fovenda promoveat; adlaboret ut christifideles in operibus apostolatus partem habeant atque opera ad evangelizationem gentium provehenda sustineant.

§ 4. Pauperes tenuioresque peculiari diligentia prosequatur; fortuna adversa conflictatos levet ac sustineat; caritatis opera foveat ac promoveat.

§ 5. Aegrotantes invisat, eos confortans, et quos in vitae discrimen novit sollicitè Sacramentis reficiens, eisdem concedens quoque benedictionem apostolicam cum adiuncta indulgentia plenaria, quam quidem parochio aliive sacerdoti infirmis assistenti facultas est impertiendi.

(Cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 30; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 5-6; Paulus VI, Constitutio apostolica *Indulgentiarum doctrina*, V, n. 18).

§ 6. Provideat ut migrantibus, peregrinis ac itinerantibus in sua paroecia degentibus, cura pastoralis eisdem aptata non deficiat.

#### *Can. 15 (novus)*

Perdurante Sessione, postulata est redactio huius novi canonis, ut completa tractatio materiae habeatur. Textus propositus a Rev.mo Secretario Ad. et approbatus ita sonat:

§ 1. Parochus operam det ut christifideles suae curae commissi in amore habeant Christi Ecclesiam universam suamque, in qua eadem exstat,

dioecesim, utque parati sint ad cooperandum cum aliis eiusdem communitatibus ac inceptis.

§ 2. Adlaboret ut propriam communitatem paroecialem colant, spiritu communitatis imbuti; quare eosdem hortetur ut ecclesiam paroecialem adeant, ibidem in divinis officiis partem habentes et verbum Dei audientes.

§ 3. Agnoscat tamen libertatem qua christifideles gaudent alios adeundi sacerdotes aliasque frequentandi ecclesias.

*Canon novus*, alio loco ponendus

Sequens textus proponitur:

Parochus advigilet ut ecclesia necnon domus paroecialis ita mundo ornetur cultu, ut christifideles libente animo ad easdem accedant.

Post brevem disceptationem, opportunius videtur ut de hac re agatur ubi de ecclesiis aliisque locis sacris.

*Can. 16*, antea can. 15 (cfr. CIC, can. 462)

Hic est textus qui proponitur:

Functiones ab ipso paracho implendae, ab aliis autem nonnisi eodem consentiente exercendae, sunt sequentes:

- 1° administratio forma sollemniori baptismi;
- 2° Sanctissimae Eucharistiae publica ad infirmos in propria paroecia delatio;
- 3° administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. 4 (de Sacramento Confirmationis);
- 4° administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, salvo praescripto can. 514;
- 5° denuntiatio de recipiendis sacris ordinibus atque de ineundis nuptiis praescripta; assistentia matrimonii et benedictio nuptiarum;
- 6° persolutio funerum;
- 7° benedictio domorum ad normam librorum liturgicorum, sabbato sancto aliove, pro locorum consuetudine, tempore;
- 8° fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processionum extra ecclesiam necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;
- 9° celebratio Eucharistica sollemnior diebus dominicis et festis de praecepto.

Textus approbatur uti iacet, cum unica additione, nempe: in n. 9° dicendum est « celebratio Eucharistica sollemnior cum homilia diebus ».

Exc.mus nonus Consultor postulat ut supprimatur reservatio benedictionis domorum, sed plerisque placet ut textus maneat.

*Can. 17*, antea *can. 16* (novus)

Ita sonat formula proposita:

Sacerdotes quibus insimul cura pastoralis alicuius paroeciae diversarumve paroeciarum sub moderamine eorum unius committatur, singuli, iuxta ordinationem sub ductu moderatoris stabilitam, obligatione tenentur persolvendi munera et functiones de quibus in cann. 14 et 15; uni autem moderatori competunt potestas ordinaria matrimoniis assistendi necnon facultates dispensandi ipso iure parochis concessae.

Brevis habetur disceptatio de opportunitate retinendi restrictiones quae in canone statuuntur quoad sacerdotes coetus, praesertim quoad assistentiam matrimonio. Plerique tamen Consultores textum approbant uti iacet, additis in fine verbis « ... concessae itemque ipsi incumbit obligatio de qua in *can. 23* ».

*Can. 18*, antea *can. 17* (cfr. CIC, *can. 464*)

Hic est textus propositus:

§ 1. Ex officio in omnes paroecianos, legitime non exemptos, curam animarum exercere tenentur parochus, itemque, ducente moderatore, singuli sacerdotes quibus coniunctim pastoralis cura committatur.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas communitates Institutorum perfectionis et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exemptae, a parochi cura subducere.

Postulante Rev.mo septimo Consultore, modificantur in § 1 verba « legitime non exemptos », quae minus recte intelligi possunt, attenta praesertim possibilitate paroeciae personalis. Haec est nova redactio quae a Rev.mo Secretario Ad. proponitur et suffragatione approbatur:

« In omnes suae curae pastoralis commissos parochus (...) committatur, ex officio obligatione tenentur curam animarum exercendi ».

Proponentibus quoque Exc.mo secundo Consultore atque Rev.mo Secretario Ad. quaedam emendationes fiunt in paragrapho 2.

Attentis igitur expositis, sequens approbatur nova redactio canonis:

§ 1. In omnes suae curae pastoralis commissos, parochus itemque, du-

cente moderatore, singuli sacerdotes quibus coniunctim pastoralis cura committatur ex officio obligatione tenentur curam animarum exercendi.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas communitates personarum et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exemptae, a parochi cura ex toto aut ex parte subducere.

*Can. 19*, antea *can. 18* (cfr. *CIC*, *can. 463*)

Ita sonat textus qui proponitur:

Licet paroeciale officium alius expleverit, ipsi parochi, aut diversis simul presbyteris quibus paroecialis cura committatur, praestationes cedunt quae ad normam iuris debitae sunt, nisi de contraria offerentium voluntate constet pro parte praestationem debitam excedente.

Suffragatione facta, hic textus approbatur uti iacet.

*Can. 20*, antea *can. 19* (novus)

Textus qui proponitur, et absque emendationibus approbatur ita sonat:

In omnibus negotiis iuridicis parochus, aut curae pastoralis moderator, personam gerit paroeciae.

*Can. 21*, antea *can. 20* (cfr. *CIC*, *can. 465*)

Hic est textus qui proponitur:

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam praesertim in domo pluribus parochis communi, dummodo ne paroecialium perfunctio munerum exinde detrimentum patiatur.

§ 2. Parochi, nisi gravis obstet ratio, singulis hebdomadibus sit unus dies feriat; praeterea, vacationis gratia, ipsi licet quotannis a paroecia abesse per unum mensem tantum, continuum aut intermissum, seu quatuor hebdomadas, pariter continuas aut intermissas, nisi loci Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedendum putaverit.

§ 3. In vacationis tempore dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat, iuxta normas iure particulari determinatas.

§ 4. Cum absentia ultra hebdomadam, quacumque de causa, est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habeat loci Ordinarii licentiam

aut, si causa sit urgens, eundem Ordinarium certiore reddat; pro tempore eiusdem absentiae, curam pastorem, cum omnibus facultatibus in his quae ad eandem curam pertinent, ipso iure assumit vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior; si vero desit vicarius paroecialis, sui loco relinquat parochus aut parochum vicinum aut alium sacerdotem, sive saecularem sive, de licentia eius Superioris, religiosum, ab eodem vero Ordinario probandos.

§ 5. Etiam pro brevioris absentiae parochi tempore, eiusdem locum ipso iure tenet vicarius paroecialis ad normam § 4; qui si desit, parochus curet ut necessitatibus christifidelium provideatur, etiam per delegatum sacerdotem qui paroeciae curam gerat.

*Quoad § 1:* placet ut dicatur, postulante Exc.mo nono Consultore, « in domo pluribus sacerdotibus communi ... » (lin. 4).

*Quoad § 2:* Exc.mus nonus Consultor mavult ut haec res singulis Conferentiis Episcopalibus relinquatur, quia agitur de praescriptis nimis particularibus. Plerique tamen Consultores censent praescripta de hac materia in Codice danda esse, ne abusus contingant.

Placet ut, iuxta petitionem Exc.mi tertii Consultoris, expungantur verba « tantum » (lin. 3) et « seu quattuor hebdomadas, pariter continuas aut intermissas » (lin. 3-4).

Suggerit etiam Rev.mus quartus Consultor, et approbatur, ut in fine huius paragraphi ita emendentur verba: « loci tamen Ordinarius ... concedere potest ».

*Quoad § 3:* emendationes non proponuntur, sed additur in fine: « ne ii quibus, consentiente Ordinario, cursum frequentent ad profundiores formationem theologicam aut pastorem adquirendam ».

*Quoad § 4:* proponentibus Exc.mo tertio Consultore et Rev.mo Secretario Ad., expunguntur verba [quae loquuntur] de Ordinarii licentia (lin. 2) et locutio « quacumque de causa » (lin. 1).

Placet etiam, ad maiorem certitudinem iuridicam habendam necnon ad opportunam huius normae amplitudinem praebendam, ut sequentes fiant emendationes: « ... paroecialis, et loci Ordinarius aliter non provideat » (lin. 7); « religiosum; qui sacerdotes si probantur a Vicario foraneo, ipso iure facultates parochi obtinent » (lin. 8).

*Quoad § 5:* ad mentem Rev.mi quarti Consultoris, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et recipitur, hanc emendationem: « Etiam pro brevioris absentiae tempore, parochus legitimam causam habeat; eiusdem ... ».

*Nova paragraphus.* Iuxta Exc.mum tertium Consultorem quae de parcho in hoc canone dicuntur valent quoque pro moderatore coetus sacerdotum. Ad mentem huius animadversionis, Rev.mus Secretarius Ad. textum proponit § 6, qui approbatur.

Ideo textus definitivus huius canonis est:

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne paroecialium perfunctio munerum exinde detrimentum patiatur.

§ 2. Parcho, nisi gravis obstet ratio, singulis hebdomadibus sit unus dies feriat; praeterea, vacationis gratia, ipsi licet quotannis a paroecia abesse per unum mensem continuum aut intermissum; loci tamen Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedere potest.

§ 3. In vacationis tempore dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat, iuxta normas iure particulari determinatas; nec ii quibus, consentiente Ordinario, cursum frequentet ad profundiorum formationem theologicam vel pastorem adquirendam.

§ 4. Cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus legitimam causam habeat et loci Ordinarius certiore reddat; pro tempore eiusdem absentiae, curam pastorem, cum omnibus facultatibus in his quae ad eandem curam pertinent, ipso iure assumit vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior; si vero desit vicarius paroecialis et loci Ordinarius aliter non providerit sui loco relinquit parochus aut parochum vicinum aut alium sacerdotem, sive saecularem sive, de licentia eius Superioris, religiosum; qui sacerdotes si probantur a Vicario foraneo, ipso iure facultates parochi obtinent.

§ 5. Etiam pro brevioris absentiae tempore parochus legitimam causam habeat; eiusdem locum ipso iure tenet vicarius paroecialis ad normam § 4; qui si desit, parochus curet ut necessitatibus christifidelium provideatur, etiam per delegatum sacerdotem qui paroeciae curam gerat.

§ 6. Singuli sacerdotes quibus insimul cura pastoralis paroeciae committitur, tenentur obligatione de qua in § 1 et gaudent iure de quo in §§ 2 et 3; moderator ut ultra hebdomadam absit, eget legitima causa; insuper alium designet ex coetu sacerdotum qui eius locum pro tempore teneat.

*Can. 22, antea can. 21 (cfr. CIC, can. 466)*

Hic est textus propositus:

§ 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur Missam pro populo sibi commissio celebrare singulis diebus dominicis atque diebus festis in sua dioecesi de praecepto.

§ 2. Parochus Missam pro populo diebus de quibus in § 1 per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus per se ipse applicet.

§ 3. Parochus qui plurium paroeciarum curam habeat, alternis vicibus in ecclesia paroeciali singularum paroeciarum sibi commissarum Missam pro populo celebret, nisi tamen rerum adiuncta Missam alibi celebrandam suadeant.

§ 4. Parochus qui obligationi de qua in §§ superioribus non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet quot omisit.

§ 5. Si cura paroecialis pluribus insimul committatur sacerdotibus, iuxta ordinationem ab eisdem ducente moderatore stabilitam, eorum unus implere debet obligationem de qua in §§ superioribus, qua vero omnes in solidum tenentur.

Singulae paragraphi huius canonis approbantur absque ulla emendatione.

*Can. 23, antea can. 22 (cfr. CIC, can. 470)*

Formula proposita ita sonat:

§ 1. Habeat parochus libros paroeciales, librum scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, aliosque secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; librum de statu animarum quoque conficere pro viribus curet; eosdem libros, servatis eorundem praescriptis, accurate conscribat atque diligenter asservet.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, si eam baptizatus receperit, necnon quae ad eiusdem statum canonicum pertinent, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1107, itemque ratione ordinis sacri suscepti aut professionis religiosae emissae; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplar librorum paroecialium, excepto libro de statu animarum, ad Curiam episcopalem transmittat.



§ 4. Paroeciali utatur sigillo atque habeat tabularium seu archivum, in quo memorati libri custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, religiose caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

*Quoad § 1*, proponente Rev.mo quarto Consultore, placet mutatio redactionis, ita ut in textu agatur de libris paroecialibus — non parochi — quorum cura parochus competat. In fine paragraphi addendum etiam est: « liber quoque de statu animarum, in quantum id fieri possit, conficiatur », quia momentum librorum de quibus in hac paragrapho agitur est diversum.

*Quoad § 2*, expunguntur verba « si eam baptizatus receperit » (lin. 1), quia non sunt necessaria. Proponente praeterea Rev.mo decimo Consultore, additur adnotatio de mutato ritu.

*Quoad § 3*, post brevem disceptionem, modificatur redactio, quo clarius sensus pateat.

*Quoad § 4*, proponentibus Exc.mo sexto et Rev.mo decimo Consultoribus, placet ut dicatur: « in quo libri paroeciales, etiam antiquiores, custodiantur ».

Denique, iuxta animadversionem Rev.mi quarti Consultoris, haec paragraphus in duas paragraphos dividitur, ut separatim agatur de sigillo ac de tabulario.

Additur quoque nova paragraphus, quae erit § 4, de modo dandi testimonia de statu christifidelium.

Textus ergo qui suffragatione definitive approbatus ita sonat:

§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, alique secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; prospiciat parochus ut eidem libri, servatis eorundem praescriptis, accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, in quantum id fieri possit, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae ad christifidelium statum canonicum pertinent, ratione matrimonii salvo quidem praescripto can. 1107, itemque ratione ordinis sacri suscepti, professionis religiosae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplum librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Testimonia quae de statu christifidelium canonico dantur ab ipso parochus eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciae muniantur.

§ 5. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; parochus provideat ut eodem muniantur acta omnia quae momentum iuridicum habere possunt.

§ 6. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales, etiam antiquiores, custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

*Can. 24, antea can. 23 (novus)*

Haec est formula proposita:

§ 1. Parochus ab officio cessat, lapsu temporis pro quo constitutus est, nisi in officio confirmetur, amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, necnon renuntiatione iusta de causa ab ipso parochus facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata.

§ 2. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo, qui, omnibus personae et loci inspectis adiunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

Placet § 2, uti iacet.

*Quoad § 1, postulat Exc.mus primus Consultor ut de lapsu temporis agatur in fine, quod placet; quapropter redactio huius § 1 ita approbatur:*

§ 1. Parochus ab officio cessat amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, renuntiatione iusta de causa ab ipso parochus facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, si iuxta iuris particularis de quo in can. 7 praescripta ad tempus determinatum constitutus fuerit.

§ 2. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo, qui, omnibus personae et loci

inspectis adiunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentiae statutis.

### III. ALIAE QUAESTIONES EXAMINI SUBIECTAE

#### A) DE VICARIIS PAROECIALIBUS

De hac quaestione non perpenduntur textus canonum, sed tantum prolatae sunt ideae generales ad eos redigendos.

Rev.mus quartus Consultor censet canones hodierni Codicis esse insufficientes, et postulat ut introducatur nova figura administratoris paroecialis, si paroecia vacet aut parochus impediatur, neque Episcopus aliter providerit. Hoc placet, etiam quia concordat cum iis quae statuta iam sunt de sede episcopali vacante aut impedita.

Placet ut nominatio vicariorum competat loci Ordinario, sed necessarium non videtur ut reservetur Episcopo dioecesano. Nominatio praeterea debet fieri audito parochi.

De distributione laboris in paroecia variae sunt opiniones: possunt nempe nominari pro aliqua parte paroeciae (Exc.mus nonus, Rev.mus septimus Consultores), vel pro aliquo coetu personarum (Rev.mus quartus Consultor), immo et pro aliquo coetu personarum ad diversas paroecias pertinentium (Exc.mus sextus Consultor).

Quoad sustentationem vicariorum, placet ut quaestio determinanda relinquatur Conferentiis Episcopalibus, quae nempe statuent normas de aequa distributione iurium stolae.

Relate ad remotionem, non placet expressio « ad nutum Episcopi », utpote quae minus congruere videatur cum dignitate personae. Magis placet expressio « ab Episcopo qualibet de causa, naturali aequitate servata ».

#### B) DE DECANIS

Etiam de hac re ideae tantum generales perpenduntur.

Uti animadvertit Rev.mus Secretarius Ad., ratio habenda est eorum quae in Decr. *Christus Dominus* hac de re statuta sunt.

Iuxta Exc.mum secundum Consultorem conglobatio paroeciarum respondere debet criteriis realibus, neque fieri potest theorice.

Decanus non necessario esse debet parochus, quia sunt munera diversa.

Hac in re libertas relinquenda est Conferentiis Episcopalibus (Exc.mus nonus, Rev.mus septimus Consultor).

Ad mentem Rev.mi quarti Consultoris, haec sunt inter alia munera decani sive vicarii foranei:

a) coordinatio laboris inter parochos ad opera interparoecialia peragenda;

b) repraesentatio personae Episcopi dioecesani,

c) specialis cura de Sanctissimi Sacramenti custodia deque ecclesiarum decore ac nitore (cfr. CIC, can. 447, § 4);

d) statis temporibus parochos convocare cum iisque colloquium habere de rebus pastoralibus.

Postulat quoque Rev.mus quartus Consultor ut vitetur expressio « munus invigilandi », quae in hodierno Codice habetur sed male sonat. Quaerit praeterea ut adsint in nova legislatione non tantum decani territoriales sed etiam personales, ratione specifici laboris.

Iuxta Exc.mum sextum Consultorem, attendendum imprimis est ad litteras nominationis decani, in quibus eiusdem munera clare statuenda sunt; praeterea figura vicarii foranei hodie non est nimis extollenda, ne evacuetur nova figura vicarii episcopalis.

De sententia Exc.mi noni et Rev.morum quarti et quinti Consultorum constitutio decanorum non est imponenda, quia hoc pendet a necessitatibus structuralibus dioecesis. His dictis accedunt Rev.mus septimus alique Consultores, qui censent formulam adhibendam esse sequentem: « quantum rectum dioecesis regimen hoc requirat ».

Quoad nominationem, postulat Exc.mus nonus Consultor ut electio habeatur, ita ut presbyteri unum seligant inter tres candidatos ab Episcopo dioecesano propositos. Exc.mus sextus Consultor censet electiones servari quidem posse ubi iam fiant, sed ad alia loca non esse extendendas. Cum hac propositione concordat Exc.mus tertius Consultor qui mavult tamen ut audiantur ab Episcopo parochi decanatus.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem formulam proponit, quae tamen non suffragatur: « nominatur ab Episcopo, auditis iis, quorum intersit, praesertim sacerdotibus ».

Ita expletur disceptatio de quaestionibus hac in Sessione pertractandis. Precibus ergo de more dictis, huic IX<sup>ae</sup> Sessioni Coetus Consultorum « De Sacra Hierarchia » finis imponitur.

Romae, die 20 februarii 1971.

I. HERRANZ  
*Actuarius*

CANONES EMENDATI ET APPROBATI IN IX<sup>a</sup> SESSIONE

## DE CONSILIO PRESBYTERALI

*Can. 1*

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium repraesentans, cuius est Episcopo in regimine universae dioecesis consiliis adiuvari, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilio presbyterali praest Episcopus dioecesanus, quippe qui presbyterii sit caput.

*Can. 2*

Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

*Can. 3*

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° Maior eorum pars libere eligantur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2° Aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse possunt, aut, si ita ordinaverit Episcoporum Conferentia, esse debent, membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3° Episcopo dioecesano integrum est aliquos libere nominare.

*Can. 4*

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum exercere valent:

1° Omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent, aut in eiusdem bonum officium aliquod ecclesiasticum adimplent;

2° Sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati, necnon religiosi, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent et ibidem officium aliquod ecclesiasticum in foro externo exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod quod in bonum dioecesis exercent.

*Can. 5*

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita aetatis maxime autem diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum.

*Can. 6*

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo nisi ius universale aliter providerit aut Episcopus dioecesanus, in casibus exceptionalibus ab Episcoporum Conferentia definitis, votum deliberativum concedendum censuerit.

§ 2. Audiendum est in causis quae iure universali statutae sunt, aut quae iudicio Episcopi regimen generale dioecesis respiciunt.

*Can. 7*

§ 1. Secundum statuta Consilium presbyterale constituatur ad tempus, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale permanet, sed intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere, quo constituto prius a munere cessat.

*Can. 8*

Qui electus non amplius implet conditiones in can. 4 praevisas cessat a munere eiusque locum tenet qui vices eius supplet, secundum statutorum praescripta.

*Can. 9*

§ 1. Consilium presbyterale ab Episcopo convocetur saltem bis singulis annis.

§ 2. Praeterea convocetur si peculiaria dioecesis adiuncta id suadeant, sive de iudicio Episcopi sive de iudicio partis membrorum, non minoris quidem unius tertiae partis, a statutis determinatae.

*Can. 10*

Consilium presbyterale in tractandis causis quae ad regimen spectant operum pastoralium rationem habeat earum quae Consilium pastorale de operibus pastoralibus perpenderit atque proposuerit.

*Can. 11*

§ 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano eligantur aliqui sacerdotes, qui Collegium consultorum constituent, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Consilium presbyterale non constans plus quam septem membris implet munera quae iure Collegio consultorum competunt.

§ 3. Collegio consultorum praest Episcopus dioecesanus; sede autem impedita aut vacante, is qui ad interim Episcopi locum tenet aut, si constitutus nondum fuerit, in Collegio consultorum sacerdos ordinatione antiquior.

## DE SEDE IMPEDITA

*Can. 1* (CIC 429, § 1)

Sedes episcopalis impedita intelligitur, si captivitate, relegatione, exilio aut inhabilitate, Episcopus dioecesanus plane a munere pastoralis in dioecesi procurando praepediatur, ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare valens.

*Can. 2* (CIC can. 429, §§ 1, 2 et 3)

§ 1. Sede impedita, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sedes provide-rit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, alicui Episcopo auxiliari aut Vicario generali vel episcopali aliive sacerdoti, servato personarum ordine statuto in elencho, qui quamprimum a capta dioecesis possessione ab Episcopo dioecesano componendus et singulis saltem triennis renovandus, a Cancellario sub secreto servandus atque insimul cum Metropolita communicandus est.

§ 2. Si deficiat aut impediatur Episcopus coadiutor atque elenchus de quo in § 1 non suppetat, Collegii consultorum, de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali) est sacerdotem eligere, qui dioecesim regat.

§ 3. Qui dioecesis regimen, ad normam §§ 1 vel 2, suscepit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de suscepto munere.

*Can. 3* (CIC, can. 429, § 3)

Quilibet ad normam can. 2 vocatus ut ad interim dioecesis curam pastorem gerat, etiam si sit Episcopus coadiutor, pro tempore quo sedes impeditur tantum, in cura pastoralis dioecesis exercenda tenetur obligationibus atque potestate gaudet quae iure Administratori dioecesano competunt.

*Can. 4* (CIC, can. 429, § 5)

Si Episcopus dioecesanus poena ecclesiastica a munere exercendo prohibeatur, Metropolitae, eoque deficiente aut si de eodem agatur, antiquior promotione inter suffraganeos, ad Sanctam Sedem statim recurrat, ut ipsa provideat; quod si agatur de dioecesi aut de praelatura de quibus in can. 285, obligatione recurrenti tenetur Metropolitae qui legitime electus est.

#### DE SEDE VACANTE

*Can. 5* (CIC, can. 430, § 1)

Sedes episcopalis vacat Episcopi dioecesani morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.

*Can. 6* (CIC, can. 430, § 2)

Vim habent omnia quae gesta sunt a Vicario generali aut Vicario episcopali, usque dum certam de obitu Episcopi dioecesani notitiam acceperint, itemque quae ab Episcopo dioecesano aut a Vicario generali vel episcopali gesta sunt, usque dum certam de memoratis actibus pontificiis notitiam receperint.

*Can. 7* (CIC, can. 430, § 3)

§ 1. A certa translationis notitia, Episcopus intra duos menses debet dioecesim *ad quam* petere eiusque canonicam possessionem assumere ad normam can. 2, § 3 (de Episcopis dioecesanis), et a die captae possessionis dioecesis novae, dioecesis *a qua* plene vacat.

§ 2. A certa translationis notitia usque ad canonicam novae dioecesis possessionem, Episcopus translatus in dioecesi *a qua*:

1° Administratoris dioecesani potestatem obtinet eiusdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii generalis et Vicarii episcopalis



potestate, salvo tamen can. 7 § 2 (de Episcopis coadiutoribus et auxiliari-bus);

2° honorifica Episcoporum dioecesanorum privilegia retinet;

3° integros percipit fructus mensae episcopalis, ad normam can. 194, § 2.

*Can. 8* (CIC, can. 431)

Sede vacante, nisi adsit Administrator Apostolicus aut aliter a Sancta Sede provisum fuerit, regimen dioecesis, usque ad constitutionem Administratoris dioecesani, devolvitur ad Episcopum auxiliarem, et si plures sint ad eorum promotione antiquiorem, atque deficiente Episcopo auxiliari ad Caput Curiae; ipse autem sine mora convocet collegium ad deputandum Administratorem dioecesanum competens.

*Can. 9* (CIC, can. 432)

§ 1. Intra octo dies ab accepta vacationis sedis episcopalis notitia, Administrator dioecesanus, qui nempe dioecesim ad interim regat, eligendus est a Collegio consultorum; in dioecesibus vero in quibus iure praesentationis Episcopi instituendi gaudet Capitulum cathedrale, ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum, moderante in hoc casu qui praestit Capitulo.

§ 2. Si intra praescriptum tempus Administrator dioecesanus, quavis de causa, non fuerit legitime electus, eiusdem deputatio devolvitur ad Metropolitam, et si vacans sit ipsa Ecclesia metropolitana aut metropolitana simul et suffraganea, ad Episcopum suffraganeum promotione antiquiorem.

§ 3. Etiam vacante dioecesi aut abbatia vel praelatura de quibus in can. 285, si intra octiduum Administrator dioecesanus legitime electus non fuerit, eundem Metropolita, ad normam citati canonis electus, constituat, nisi constitutione abbatiae vel praelaturae aliter provisum fuerit.

*Can. 10* (CIC, can. 432, § 4)

Episcopus auxiliaris, et, si deficiat, Caput Curiae quantocius de morte Episcopi, itemque electus in Administratorem dioecesanum de sua electione Sedem Apostolicam certiore faciant.

*Can. 11* (CIC, can. 433)

§ 1. Unus deputetur Administrator dioecesanus, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.

§ 2. Administrator dioecesanus ne insimul sit oeconomus; quare, si oeconomus dioecesis in Administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designet Consilium a rebus oeconomicis.

*Can. 12*

Administrator dioecesanus eligatur ad normam can. (de electione) et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis; electio ut valeat, ab electo acceptari debet.

*Can. 13* (CIC, can. 434)

§ 1. Valide ad munus Administratoris dioecesani deputari tantum potest sacerdos, qui trigesimum quintum aetatis annum expleverit, et ad eandem vacantem sedem non fuerit iam electus, nominatus vel praesentatus.

§ 2. In Administratorem dioecesanum eligatur sacerdos qui sit doctrina et prudentia praestans.

§ 3. Si praescriptae § 1 conditiones posthabitaе fuerint, Metropolita, aut, si ipsa Ecclesia metropolitana vacans fuerit, Episcopus suffraganeus promotione antiquior, agnita rei veritate, Administratorem pro ea vice deputet; actus autem illius contra praescripta § 1 electi sunt ipso iure nulli.

*Can. 14* (CIC, can. 435, § 1)

Qui, sede vacante, Episcopus auxiliaris aut Caput Curiae, ante deputationem Administratoris dioecesani, dioecesim regat, potestate gaudet quam ius Vicario generali agnoscit.

*Can. 15* (CIC, can. 435)

§ 1. Administrator dioecesanus ipso iure tenetur obligationibus et gaudet potestate Episcopi dioecesani, iis exclusis quae rei natura aut ipso iure excipiuntur.

§ 2. Administrator dioecesanus, ipsa acceptata electione si fidei professionem de qua in cann. 1406-1408 ediderit, statim potestatem de qua in § 1 obtinet, quin requiratur ullius confirmatio.

*Can. 16* (CIC, can. 435, § 3)

Illi qui ad interim dioecesis regimen curant vetantur quidpiam agere quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit; in specie prohibentur ipsi, atque perinde alii quicumque, tum Col-

legii consultorum membra tum extranei, quominus sive per se sive per alium Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahant vel destruant, aut in iis quaedam immutent.

*Can. 17* (CIC, can. 436)

Sede vacante nihil innovetur.

*Can. 18* (CIC, can. 440)

Administrator dioecesanus obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 10 (de Episcopis dioecesanis).

*Can. 19* (CIC, can. 443)

§ 1. Administratoris dioecesani remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio quae fiat, authentica forma exhibenda est Collegio ad electionem competenti ad normam can. 9, § 1, a quo tamen, ut valeat, acceptari non debet; remoto aut renuntiante Administratore dioecesano, aut eodem defuncto, alius eligatur Administrator dioecesanus ad normam can. 9.

§ 2. Cessat praeterea munus Administratoris dioecesani per captam a novo Episcopo dioecesis possessionem ad normam can. 2, § 3 (de Episcopis dioecesanis).

*Can. 20* (CIC, can. 444)

Episcopus dioecesanus, capta dioecesis possessione, ab iis qui ad interim regimini dioecesis providerint necnon a dioecesis oeconomio adimpleti muneris rationem exigere debet.

## DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS

*Can. 1* (novus)

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parrocho aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus insimul sacerdotibus sub moderamine eorum unius cooperantibus ad normam iuris.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroecia uni concredatur sacerdoti, qui sit eiusdem parochus; certis tamen adiunctis id requirentibus, paroecia

cura committi potest pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut eorum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

§ 3. Si ob sacerdotum penuriam, Episcopus dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concedendam esse alicui personae sacerdotali caractere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem designet aliquem qui, uti proprius paroeciae pastor, curam pastorem moderetur.

*Can. 2 (novus)*

Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, audito Consilio presbyterali, id expediat, constituentur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae.

*Can. 3 (novus)*

§ 1. Parochus est sacerdos, qui, tanquam eius pastor proprius, paroeciae sibi commissae cura pastoralis defungitur, sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro populo sibi concredito munera docendi, sanctificandi et regendi exsequatur, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

§ 2. Qui, adiunctis id requirentibus, plures insimul cura pastoralis paroeciae defunguntur, ut pastores populi sibi commissi, sub auctoritate Episcopi dioecesani, coniuncti eadem munera exsequuntur, ita tamen ut qui eorum curae pastoralis universae moderamen habeat solus instruatur ordinaria potestate regiminis seu iurisdictionis in foro externo quam ius parochus agnoscit.

*Can. 4 (CIC, can. 451, §§ 2-3)*

§ 1. Parochus aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialibus, sacerdos qui vacante paroecia ab Ordinario designatur ad curam pastorem pro tempore exercendam, itemque vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior, qui, parochus impedito aut absente, eiusdem locum tenet, ad normam can. ...

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universali vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad cappellanos pro militibus aliisve peculiaribus personarum coetibus quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis.

*Can. 5 (CIC, can. 452)*

§ 1. Parochus persona iuridica ne esto; Episcopus dioecesanus autem auctoritate propria, non vero Administrator dioecesanus nec sine speciali mandato Vicarius generalis aut episcopalis, potest, de consensu competentis Superioris, paroeciam committere Instituto perfectionis aliive societati clericorum, etiam in ecclesia Instituti aut societatis eam erigendo, ea tamen lege ut unus sacerdos sit paroeciae parochus aut, si cura pastoralis pluribus committatur, moderator.

§ 2. Paroeciae commissio de qua in § 1 potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus; in utroque casu fiat mediante conventionem scripta inter Episcopum dioecesenum et superiorem competentem inita, qua, inter alia, expresse et accurate definiantur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectat.

(cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33, § 1).

*Can. 6 (CIC, can. 453)*

§ 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit insuper sana doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curadam iure sive universali sive particulari requiruntur.

*Can. 7 (CIC, can. 454)*

Qui in paroecia pastoralis curae praeficitur qua paroeciae parochus aut moderator, ad indeterminatum tempus nominetur; ad certum tamen tempus ab Episcopo dioecesano nominari potest, si ita ab Episcoporum Conferentia regionis, per decretum ad normam can. (...) editum, statutum fuerit.

*Can. 8* (CIC, can. 455)

§ 1. Ius nominandi et instituendi parochum necnon sacerdotes quibus in solidum paroeciae cura committitur eorumque moderatorem competit Episcopo dioecetano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

§ 2. Parochum necnon sacerdotes de quibus in § 1 libere nominat Episcopus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis, Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae; quare vicarium foraneum consulat, et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastorem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. (CIC, can. 456). Salvo iure particulari salvisque conventionibus inter Episcopum dioecetatum et Superiorem initis et ab Apostolica Sede probatis, ad paroecias alicui sodali Instituti perfectionis aut clericorum societatis concedenda, sive paroecia Instituto societative commissa sit ad normam can. 5 sive non, Superior secundum constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut societatis praesentat Episcopo dioecetano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit.

*Can. 9* (CIC, can. 455, § 2)

Sede vacante aut impedita ad normam can. 1 (de Sede impedita), ad Administratorem dioecetatum aliumve dioecesim ad interim regentem pertinet:

1° vicarios paroeciales constituere, ad normam cann. 472-476;

2° institutionem concedere sacerdoti sodali Instituti perfectionis aut societatis clericorum, ad paroeciam praesentato a Superiore ad normam can. 8, § 3;

3° parochos sacerdotesve de quibus in can. 8, § 1, nominare, si sedes saltem ab anno vacaverit aut impedita sit.

*Can. 10* (CIC, can. 458)

Vacanti paroeciae curet Episcopus dioecetanus providere ad normam can. 6 (de Officiis ecclesiasticis. in CIC, can. 155), nisi peculiaris locorum aut personarum adiuncta, prudenti Episcopi iudicio, collationem officii paroecialis differendum suadeant.

*Can. 11* (CIC, can. 459)

§ 1. Episcopus dioecesanus vacantem paroeciam illi conferat, quem, omnibus perpensis adiunctis, idoneum aestimet ad paroecialem curam in eadem implendam, omni personarum acceptione seclusa.

§ 2. Si id expedire iudicaverit, potest Episcoporum Conferentia itemve Episcopus dioecesanus statuere ut presbyteri, post certum ab ordinatione annorum numerum, examini super doctrina subiiciantur, quo eorundemabilitas ad munus paroeciale assumendum probatur.

*Can. 12* (CIC, can. 460)

§ 1. Parochus ad normam can. 7 (de officiis ecclesiasticis, in CIC can. 156) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat, nisi agatur de paroeciis aequae principaliter unitis.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus, aut, si paroeciae cura pluribus insimul committatur sacerdotibus, eorum unus tantum sit eiusdem curae moderator, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

*Can. 13* (CIC, can. 461)

§ 1. Qui ad curam pastorem paroeciae gerendam nominatus aut institutus est, eandem obtinet a momento captae possessionis; ante actum possessionis capiendae, aut in ipso, fidei professionem edere debet de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

§ 2. Parochum moderatoremque curae paroecialis in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari praescripto aut legitima consuetudine recepto; iusta tamen de causa potest idem Ordinarius ab eo modo dispensare; quo casu dispensatio locum tenet captae possessionis.

§ 3. Pro ceteris sacerdotibus, quibus, ducente moderatore, insimul cura paroecialis committitur, fidei professio locum tenet captae possessionis.

§ 4. Loci Ordinarius praefiniat tempus intra quod possessio paroeciae capi debeat; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, paroeciam vacare declaret, ad normam can. 188, n. 2.

*Can. 14* (CIC, cann. 467, 468, 469)

§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei omnibus in paroecia sibi commissis degentibus annuntietur; quare, curet ut christifi-

deles in fidei veritatibus recte edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis in regione de praecepto habenda, ad normam can. 1339 (novi) necnon catechetica institutione tradenda, ad normam cann. 1345-1352 (novae redactionis), utque spiritu evangelico imbuantur; atque omni spe satagat, adsociata etiam sibi eorundem christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur.

§ 2. Quo munus sanctificationis debite expleat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; adlaboret ut christifideles, quibus quidem legitime petentibus sacramenta administrare debet, per ritam et devotam eorum receptionem pascantur utque ad SS. Eucharistiae necnon Poenitentiae sacramenta frequenter accedant; satagat ut iidem conscie et actuose in Sacra Liturgia partem habeant.

§ 3. Pastor paroeciae proprius cum sit, curet ut populum sibi commissum cognoscat; consociata cum cooperatoribus opera, prospiciat ut vitae christianae incrementum foveatur tum in singulis christifidelibus, tum in familiis, tum in consociationibus, tum in universa paroeciali communitate; domos et scholas visitet; provideat ut iuvenum adolescentumque peculiaris cura habeatur; legitime incepta ad unitatem inter christianos fovenda promoveat; adlaboret ut christifideles in operibus apostolatus partem habeant atque opera ad evangelizationem gentium provehenda sustineant.

§ 4. Pauperes tenuioresque peculiari diligentia prosequatur; fortuna adversa conflictatos levet ac sustineat; caritatis opera foveat ac promoveat.

§ 5. Aegrotantes inviset, eos confortans, et quos in vitae discrimen novit sollicite Sacramentis reficiens, eisdem concedens quoque benedictionem apostolicam cum adiuncta indulgentia plenaria, quam quidem parochus aliive sacerdoti infirmis assistenti facultas est impertiendi.

(Cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 30; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 5-6; Paulus VI, Constitutio apostolica *Indulgentiarum doctrina*, V, n. 18).

§ 6. Provideat ut migrantibus, peregrinis ac itinerantibus in sua paroecia degentibus, cura pastoralis eisdem aptata non deficiat.

*Can. 15 (novus)*

§ 1. Parochus operam det ut christifideles suae curae commissi in amore habeant Christi Ecclesiam universam suamque, in qua eadem exstat, dioecesim, utque parati sint ad cooperandum cum aliis eiusdem communitatibus ac inceptis.



§ 2. Adlaboret ut propriam communitatem paroecialem colant, spiritu communitatis imbuti; quare eosdem hortetur ut ecclesiam paroecialem adeant, ibidem in divinis officiis partem habentes et verbum Dei audientes.

§ 3. Agnoscat tamen libertatem qua christifideles gaudent alios adeundi sacerdotes aliasque frequentandi ecclesias.

*Can. 16 (CIC, can. 462)*

Functiones ab ipso parrocho implendae, ab aliis autem nonnisi eodem consentiente exercendae, sunt sequentes:

- 1° administratio forma sollemniori baptismi;
- 2° Sanctissimae Eucharistiae publica ad infirmos in propria paroecia delatio;
- 3° administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. 4 (de Sacramento Confirmationis);
- 4° administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, salvo praescripto can. 514;
- 5° denuntiatio de recipiendis sacris ordinibus atque de ineundis nuptiis praescripta assistentia matrimoniis et benedictio nuptiarum;
- 6° persolutio funerum;
- 7° benedictio domorum ad normam librorum liturgicorum, sabbato sancto aliove, pro locorum consuetudine, tempore;
- 8° fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processionum extra ecclesiam necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;
- 9° celebratio Eucharistica sollemnior cum homilia diebus dominicis et festis de praecepto.

*Can. 17 (novus)*

Sacerdotes quibus insimul cura pastoralis alicuius paroeciae diversarumve paroeciarum sub moderamine eorum unius committatur, singuli, iuxta ordinationem sub ductu moderatoris stabilitam, obligatione tenentur persolvendi munera et functiones de quibus in cann. 14 et 15; uni autem moderatori competunt potestas ordinarii matrimoniis assistendi necnon facultates dispensandi ipso iure parochis concessae, itemque ipsi incumbit obligatio de qua in can. 23.

*Can. 18* (CIC, can. 464)

§ 1. In omnes suae curae pastoralis commissos, parochus itemque, ducente moderatore, singuli sacerdotes quibus coniunctim pastoralis cura committatur ex officio obligatione tenentur curam animarum exercendi.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas communitates personarum et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exemptae, a parochi cura ex toto aut ex parte subducere.

*Can. 19* (CIC, can. 463)

Licet paroeciale officium alius expleverit, ipsi parocho, aut diversis simul presbyteris quibus paroecialis cura committatur, praestationes cedunt quae ad normam iuris debitae sunt, nisi de contraria offerentium voluntate constet pro parte praestationem debitam excedente.

*Can. 20* (novus)

In omnibus negotiis iuridicis parochus, aut curae pastoralis moderator, personam gerit paroeciae.

*Can. 21* (CIC, can. 465)

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne paroecialium perfunctio munerum exinde detrimentum patiatur.

§ 2. Parocho, nisi gravis obstet ratio, singulis hebdomadibus sit unus dies feriat; praeterea, vacationis gratia, ipsi licet quotannis a paroecia abesse per unum mensem continuum aut intermissum; loci tamen Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedere potest.

§ 3. In vacationis tempore dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat, iuxta normas iure particulari determinatas; nec ii quibus, consentiente Ordinario, cursum frequentet ad profundiores formationem theologicam vel pastorem adquirendam.

§ 4. Cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus legitimam causam habeat et loci Ordinarius certiore reddat; pro tempore eiusdem absentiae, curam pastorem, cum omnibus facultatibus in his quae ad eandem curam pertinent, ipso iure assumit vicarius paroecialis aut,

si plures sint, eorum nominatione antiquior; si vero desit vicarius paroecialis et loci Ordinarius aliter non providerit sui loco relinquat parochus aut parochum vicinum aut alium sacerdotem, sive saecularem sive, de licentia eius Superioris, religiosum; qui sacerdotes si probantur a Vicario foraneo, ipso iure facultates parochi obtinent.

§ 5. Etiam pro brevioris absentiae tempore parochus legitimam causam habeat; eiusdem locum ipso iure tenet vicarius paroecialis ad normam § 4; qui si desit, parochus curet ut necessitatibus christifidelium provideatur, etiam per delegatum sacerdotem qui paroeciae curam gerat.

§ 6. Singuli sacerdotes quibus insimul cura pastoralis paroeciae committitur, tenentur obligatione de qua in § 1 et gaudent iure de quo in §§ 2 et 3; moderator ut ultra hebdomadam absit, eget legitima causa; insuper alium designet ex coetu sacerdotem qui eius locum pro tempore teneat.

*Can. 22 (CIC, can. 466)*

§ 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur Missam pro populo sibi commissio celebrare singulis diebus dominicis atque diebus festis in sua dioecesi de praecepto.

§ 2. Parochus Missam pro populo diebus de quibus in § 1 per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus per se ipse applicet.

§ 3. Parochus qui plurium paroeciarum curam habeat, alternis vicibus in ecclesia paroeciali singularum paroeciarum sibi commissarum Missam pro populo celebret, nisi tamen rerum adiuncta Missam alibi celebrandam suadeant.

§ 4. Parochus qui obligationi de qua in §§ superioribus non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet quot omisit.

§ 5. Si cura paroecialis pluribus insimul committatur sacerdotibus, iuxta ordinationem ab eisdem ducente moderatore stabilitam, eorum unus implere debet obligationem de qua in §§ superioribus, qua vero omnes in solidum tenentur.

*Can. 23 (CIC, can. 470)*

§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, aliique secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; prospiciat parochus ut eidem libri, servatis eorundem praescriptis accurate

conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, in quantum id fieri possit, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae ad christifidelium statum canonicum pertinent, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1107, itemque ratione ordinis sacri suscepti, professionis religiosae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplum librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Testimonia quae de statu christifidelium canonico dantur ab ipso parochus eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciae muniantur.

§ 5. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; parochus provideat ut eodem muniantur acta omnia quae momentum iuridicum habere possunt.

§ 6. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales, etiam antiquiores, custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

#### *Can. 24 (novus)*

§ 1. Parochus ab officio cessat amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, renuntiatione iusta de causa ab ipso parochus facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, si iuxta iuris particularis de quo in can. 7 praescripta ad tempus determinatum constitutus fuerit.

§ 2. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo, qui, omnibus personae et loci inspectis adiunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentiae statutis.